

Johann Christian Burgmann

Rector Academiae Rostochiensis, Ioannes Christianvs Bvrgmann, Philos. Atqve Theol. D ... De Christo Ex Angvstia Et Ivdicio hodie Liberato Es. LIII. 8., collato Actuum VIII. 33. Svmmatim Disserit, vtque Resvrrectione Salvatoris in Domino laetentur ... Cives Academiae ... cohortatur

Rostochii: Typis Ioannis Iacobi Adleri, [1737?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn894220853>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1737. Ostern.

~~A-1258. 242.~~

Op. 1737

RECTOR
'ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS,'
IOANNES CHRISTIANVS
BURGMANN,

PHILOS. ATQVE THEOL. D, HVIVSQVE P. P. O.
ET AD AED. SP. S. PASTOR,

DE
CHRISTO
EX ANGVSTIA ET IVDICIO
hodie LIBERATO,

Es. LIII. 8., collato Actuum VIII. 33.

SVMMATIM DISSERIT,

vtque

RESVRRECTIONE
SALVATORIS



in DOMINO laetentur,

& ad fiduciae salutaris confirmatio

nouaeque vitae studium

virtute diuina numquam non vtantur,

CIVES ACADEMIAE HONORATISSIMOS,

sedulo serioque cohortatur.

ROSTOCHII,

Typis IOANNIS IACOBI ADLERI, SERENISS. PRINCIPIS
& ACAD. Typographi.

M. 1256 242

* * * * *

Quod in Veteri Testamento DEVS ipse san-
xerat solemne Paschatos festum, geminum Israe-
litis in memoriam reuocabat Supremi NVMINIS
beneficium. Alterum erat liberatio a plaga &
seruitute Aegyptiaca olim facta: alterum futura
IESV CHRISTI redemptio in N. T. perficienda. (a) In prio-
ris equidem, quod Israelitarum immediate proprium erat,
haud venimus partem; at posterioris, quod ad omnes spectat
homines, eo iucundior laetiorque recurrit nobis quotannis
recordatio, quod non tantum vt aeternum, priori tamquam
temporario, quam longissime praestet; sed & reipsa pridem
nobis exhibitum, futuri non amplius, sed praeteriti tamquam
praesentis rationem habet. Quem fugit etenim, Resurrectio-
nis Dominicae festo, quod antiqui foederis Paschati succede-
re iussit Ecclesia Apostolico-Christiana, miseros nos homines
ab interitu vindicatos & in libertatem Spiritualem adsertos
esse, cum hoc die ex morte ad vitam rursus traductus sit Spon-
sor animarum, humani generis tam peccatis exsolutus, quam
poenis vicariis relaxatus. Dudum id praesignificauit SPIRI-
TVS CHRISTI in prophetis, quos inter luculentum hu-
ius veritatis perhibet testimonium ESAIAS Cap. LIII. 8.:
מִצָּרַי וּמִמָּוֶתִי מָצָאתִי יְהוָה. *Ex angustia & iudicio liberatus est.* De quo lo-
quatur vates diuinus, apud Christianos ambiguum esse ne-
quit. (b) Toties hoc caput in N. T. de CHRISTO explicatur,
vt, qui eum excludere velit, in meridie coecutiatur. Ipse CAL-
VINVS (c) in plurimis V. T. oraculis iudaizans gloriam hic
CHRI-

- (a) Vid. b. GERHARDVS *Locor. Theol. T. IV. Lib. de Circumc. & Agno Paschali* §. 45 sqq. p. 212 sqq.; SAM. BOCHAR-
TVS *Hierozoici Lib. II. C. E. p. m. 196 sqq.* & qui hunc sequi-
tur, WITSIVS *Oecon foeder. L. IV. C. IX. §. 33 sqq. p. 622 sqq.*
(b) Iudaeorum & Iudaizantium, HVGONIS GROTII inprimis,
σπερλόγητα post alios copiose solideque detexit b. AVG. VA-
RENIVS, Theologus quondam nostras, sat inclyrus, *Com-
mentario in Prophetam Isaiam Part. III. p. 247-301.*
(c) *Comment. in Isaiam p. 459 sqq.*

CHRISTO cedit. Quid? quod Iudaeos haud paucos id per-
uidisse, & vel vno hoc capite infidelitatis conuictos, & ad
sacra Christianorum adductos esse, constat. (d) Verba exci-
tata cum iis, quae praecedunt & sequuntur, Aethiopiae Re-
ginae dynastae PHILIPPVS Apostolus, expositurus, non alium
ei, quam CHRISTVM, adnunciat: *εὐηγγελίσατο αὐτῷ τὸν*
Ἰησοῦν, Act. IIX 35. Eximio modo haec in IESVM congruere,
non diffitetur GROTIUS, ad IEREMIAM ea litteraliter refe-
rens. At non eximio tantum modo in IESVM omnia con-
gruunt, sed non nisi vni IESV conueniunt (e).

Fontem corruptionis insimulant nonnulli, prouocantes
ad LXX interpretes, qui ita legunt: *ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ ἡ*
κρίσις αὐτοῦ ἦρθη. Adferunt videlicet septuagintaurali ver-
sioni *αὐθεντιαν*, & ex ea textum hebraeum, quem in men-
do cubare supponunt, quoties hic ab illa discrepet, refingen-
dum ac emendandum esse, contendunt. Quod vt consequan-
tur, ad ea sigillatim dicta se recipiunt, quae ex V. T. in Nouo
τῶν LXX. verbis adducuntur, & quoad voces a fonte hebraeo
discedunt. In his sunt autem verba nostra, quae eadem rati-
one, qua eadem expresserunt Septuaginta, repetuntur *Act.*
VIII. 33. Prae caeteris hanc aciem instruxit, exeunte superiori
seculo, PAVLVVS PEZRONIVS, tam *antiquitate temporum re-*
stituta 1687 edita, quam *defensione antiquitatis temporum IO. MAR-*
TIANAEO & MICH. Ie. QVIEN 1691. opposita. In vtra-
que namque chronologiae nouae, quam comminiscitur, prae-
fidium maximum in fontis hebraei corruptione, Graecaeque
versionis *αὐθεντίας* collocat. (f). Sententiam illius nuper in-

A 2

cru.

(d) Multis exemplis id comprobat b. GEORG. SERPILIVS *Ie-*
saia C. VIII. integro p. 36 sqq. f. *i viele Jüden und andere*
mehr haben diesen Propheten insonderheit dem 53sten
Capitel ihre Bekehrung zu dancken.

(e) Vtor verbis b. CALOVII *bibliis illustratis N. T. ad Act. l. c.*
p. 864. a.

(f) Comp b. BRAND. HENR. GEBHARDI *vindiciae quo un-*
dam locorum Hebraei textus oppositae Dn. PAVLO PEZRONO,
Gryph. 1704. p. 1. & Maxime Reuer. IO. CHRISTOPH.
WOLFIVS Biblioth. Hebraeae Part. II. L. I. Sect. I. §. X. p. 18. 19.

crustavit GVIL. WHISTONVS, Mathematicum professione, qua
 in Academia Cantabrigiensi, fugebatur. antea, Socinianismi
 causa exutus. Vulgavit hoc consilio Anglico idiomate 1722
 Londini tentamen tradens modum restituendi genuinum Veteris Testa-
 menti textum, & vindicandi citationes inde in Novo Testamento fa-
 ctas. (g). Quodsi vno nostro loco starent caderentque hi alii-
 que Pseudo-Critici, facile de gradu deiicerentur. Sufficeret
 enim cum theologis nostris (h) respondiisse, verba Prophetæ
 a LVCA repeti, prout ab Aethiope lecta sunt, hoc est, ex
 versione Graeca, quam manibus suis procul dubio triuit eunu-
 chus. Idem arbitratur Summe Reuerendus D. D. CARPZO-
 VIVS: (i) quod, inquit, Ies. LIII. 8. dicitur: de angustia & iudicio
 sublatus est, Lucas Act. VIII. 33. ex LXX. ita repetit: εν τη
 ταπεινωσει αυτου η καιρις αυτου ηρθη, quia haec ipsa verba in ver-
 sione Graeca iam legebat Eunuchus. Praeterea vero contestatum est,
 N. T. Scriptores τῶν ὀ quidem errores & inaduertentiam non
 adprobare; versionem autem, quoniam familiaris tum erat, &
 in omnium versabatur conspectu, quantumvis de verbo ad
 verbum fontem non semper traduxerit, haud raro sequi, quo-
 ties sensum recte vel exprimit, vel illustrat. (k). H. l. id pro-
 cul ambagibus fieri potuisset, quandoquidem in summa rei a
 sensu Prophetæ non differt τῶν ἐβδμηκοντα versio. Fontis
 quidem Hebraei & Graecæ interpretationis voces nonnihil
 h. l. discordant; at sensus tamen utrobique remanet idem. (l)
 Siue

(g) vid. Celeberr. Theologi, D. D. IOANN. GOTTL. CARP-
 ZOVII, Praefulis hodie Ecclesiarum Lubecensium longe me-
 ritissimi, *Critica Sacra V. T. Part. I. C. III. §. VI. p. 109. &*
Part. III. integra, p. 781 sqq.; qua Pseudo-Critica GVIL.
 WHISTONI data opera & quam solidissime conficitur.

(h) vt v. g. b. WALTHERO *Harmoniae Biblicae ad Act. VIII. 33.*
p. 631. b. HVNNIO *thesauro Euangelico* p. 1078, b. CALOVIO
Bibliis N. T. illustratis p. 364. b.

(i) *l. c. Part. III. C. II. §. V. p. 851.*

(k) b. IO. MAIOR *de dictorum V. T. in Nouo allegatione C. IV.*
§. XXIX.

(l) conf. Celeberr. I. C. WOLFII *Curæ Philol. & Criticæ in:*
Acta Apost. p. 1134.

Sive enim CHRISTI iudicium sublatum esse dicas ; sive eum ex iudicio sublatum esse, adfirmes, perinde est: Vberius haec confirmabunt, quae sequuntur.

Ad oraculi Prophetici sensum inuestigandum prouehor. Sed tot tamque diuersae eius se offerunt expositiones, quibus enarrandis, nedum excutiendis, haud sufficit plagula. De limbo Patrum fictitio, quem Pontificii causae deseruientes hic ingerunt, disputare non adinet. Bene b. IO. TARNOVIUS (m): *Nil praesidii hic habent Pontificii pro suo limbo Patrum, siquidem illa coarctatio hic intelligitur, quae 1. Christo soli competit, & 2. quae cum iudicio coniuncta. 3. unde ipse est exemptus 4. quae per τὰ τῶν Χριστοῦ Ἀδ., 8. 33. exponitur, quae cerre illi limbo patrum excogitato non bene quadrant.* Reliqui sanioris ingenii interpretes generatim (ad specialiora descendere mihi integrum non est) ad duas classes haud incommode reduci possunt. Velenim CHRISTI passionem, crucifixionem & quae inde secuta est, intelligunt mortem; vel diuinam eius ab omni passione & morte liberationem. Quantum ad priorem classem, praelucet illi vulgatus, qui vertit: *Sublatus est.* Adiungunt eidem se MENOCHIVS, VATABLVS, MVSCVLVS, alique, qui fontem ita reddunt: *Sine carcere & iudicio sublatus est, id est, occisus est (n)* Sed paucos fortassis inuenient, qui ad sensum iis praebeant, siquidem ne vocibus quidem, quibus textus hebraeus continetur, simplicitatem & potestatem, quam grammatica deposcit constructio, relinquunt intemeratam. Maiori circumspectione & apparatus causam hanc agit b. IO. FECHTIVS, (o) gloriae numquam intermoriturae Theologus, qui hunc verbis adsignat sensum: *raptus est homo, ut adficiatissimus, ita innocentia plenus, ex*

A 3.

carcere

(m) *Enarratione C. LIII. Esaiæ, quae adiecta est Commentario in Psalmos Passionales Rest. 1628. p. 453. Add b. IOANN. FORSTERVS Commentar. in Esaiam & CARPZOVIUS mox. cit.*

(n) vid. b. IO. BENED. CARPZOVII *biblia parua p. 262.*

(o) *Oraculi Esaiiani Cap. LIII. Expositione philologico-Theologica Argent., 1662. p. 41. 42. Iuuenilis haec est Scriptio, cuius pars prior praeside b. BALTH. SCHEIDIO; posterior praeside b. SEB. SCHMIDIO 1661. separatim antea ventilata erat; sed eruditione senili exornata.*

carcere atque iudicio, quo capitis damnabatur. Non repugnauit sceleratissimis, quæis ceu feris lanianda canibus præda tractus est. manibus. Quis vero, auditores, quis est, qui immanis seculi rabiem & impietatem nulla ætate audiam & furorem posteris detestandum vel fando consequatur verbis, vel literis scribendo? Addit deinceps: neque hic, quæ raptum illum immediate sequebatur, exclusa est, sublatio in crucem. Rationem huius exegeseos maxime duplicem adfert 1. quia verbum קָח raptum etiam violentum significet in sacris. 2. quia generatio pro rebus in generatione gestis quoque dicatur. Quæ semper autem summi Viri modestia fuit, statim subiicit: hanc, quam nostram facimus sententiam, in nullius præiudicium proponimus; illam nemini obrudimus. Neque tamen sine vocibus, sine contextui repugnare arbitramur. Ex Reformatis FR. IVNIUS, RIVETVS, alii, occisionem CHRISTI, imo ipsum supplicii genus ignominiosum, seu crucifixionem, collato Io. XII. 32. 33., his verbis insinuari censent, quia קָח de morte interdum vsurpetur. Sed non immerito verbi proprietatem, constructionem (secundum quam aliud est קָח simpliciter positum, aliud cum termino a quo coniunctum) contextum, aliaque opponunt Theologi nostrates. (p) Neque parallelismus inter verba hæc & CHRISTI vocem Io. XII. 32. 33. quæ resurrectionem præterea omnino non excludit, institui potest. PISCATOR mortem intelligit CHRISTI, quæ sublatus est de vita & DEO patri animam suam reddidit. Ita refert eius opinionem CAMPEG. VITRINGA (q), qui tamen eam non adprobare etiam si, inquit, vox קָח stilo scripturæ, explicari posset de sublatione ex vita, si absolute sumatur (quod plane non nego) hic tamen loci sensum illum obtinere nequit, quod illa sublatio explicetur de sublatione e coarctatione & iudicio. Qui morte sua terminat grauissimas passiones, sibi ob quæcunque debitum iudicialiter inflictas, censetur hæcenus manere sub potestate iudicii & coarctationis. Peculiaris est sententia PAULI COLOMESII, qui versionem קָח LXX Act. VIII. 33. repetitam cum Ier. LI. 9. comparat, hunc sensum exsculpens: in humilitate damnatio eius elata est: vt Ierem. LI. 9. de Babylone dicitur:

Tò

- (p) b. TARNOVIUS *Enarr. Cap. LIII. Es. p. 452. 453.*, & b. CARPZOVIUS *l. c. p. 462.* Improbatur hanc exegesein etiam b. SEB. SCHMIDIVS *Annot. in Es. ad b. l. p. 477.*
 (q) *Commentar. in Esaiam edit. Basileensis p. 673.*

τό κρίμα αὐτῆς ἐξῆγεν ἕως τῶν ἀστροῦ, *damnatio vel poenae eius eleu-*
ta est usque ad sidera. Verumenim vero perperam ἐξάγειν,
 quod per additas voces : ἕως τῶν ἀστροῦ, ad eleuationem se ex-
 porrigit, cum ἀγειν in absoluto & famoso sensu confert &
 miscet. (r) Missa classe priori, ad posteriorem me conuerto,
 hoc est, illos, qui diuinam saluatoris ab omni passione & poena
 liberationem innui, putant. Probatur haec interpretatio
 plurimis, iisque praestantibus Exegetis, in quorum etiam partes
 haud inuitus concedo. Nam verbum חקל cum ב constructum
 non solum translationem de loco in locum infert; sed
 etiam vix aliter hic, si voces adiectas spectemus, quam per
 ereptionem aut liberationem explanari potest. Eam praesupponunt
 verba proxime sequentia: *generationem eius quis enarrabit?*
 Siue de vita Messiae gloriosa, siue de semine credentium capian-
 tur. Septuaginta, licet vocibus dissideant, re ipsa tamen hunc
 sensum confirmant. Quod vt planius eluceat, ante omnia
 considerandus est liberationis huius terminus a quo, quem Pro-
 pheta duobus nominibus describit: מעצר ומשפט. Philolo-
 gice haec excutere superuacaneum est, cum nulla, ex qualicun-
 que criticorum dissensu, sensus varietas petatur. Licet enim
 IO. COCCEIVS עצר per potestatem reddat; (s) alibi tamen (t)
 scribit: עצר significat 1. ἐξουσίαν, *potestatem, imperium.* 2. *coarctationem.*
 - - Latissime accipiamur. משפט vero h. l. omnium con-
 sensu integrum actum & processum iudiciale includit, licet
 proxime sententiae executionem, seu poenam hic procul dubio
 significet. Nullam autem video causam, cur alterutrum sub-
 stantium adiectiui loco haberi debeat, quod non incommode
 fieri posse, & Hebraeis valde receptum esse, scribit THEOPH.
 ALE-

(r) Docte haec & alia monet S. R. WOLFIVS Curis Philol. & Crit ad Act. l. c. p. 1134.

(s) tam *Lexico & Commentar. Ebr. Lingu.* quam *Synopsi Prophetiae Iesiae Opp. p. 780.* vbi Pilato imperium; senioribus vero, & principibus populi, iudicium tribuit. Intelligit autem, vt mox addit, potestatem coarctantem. Conf. FORSTERVS & GVSSETIVS v. עצר.

(t) *Curis Maioribus in Prophetiam Esiae Opp. p. 1115.*

ALETHAEVS, h. e. **LAVRENTIVS MVLLERVS** (v), ita ver-
 tens: *aus dem barten gerichte*. Quantumuis enim Hebraeis non
 insolens hic sit idiotismus, (x) non semper tamen, nec sine ratio-
 ne sufficiente debet admitti, ne s. scripturae emphasi & sensui de-
 trahatur. Non male, reor, **VITRINGA** ad h. l. vtramque vocem
 de poenis iudicialibus interpretatus subiicit: *quae קצו, coarctatio,*
pressura, dicuntur propter effectum summae pressurae, angustiae, affli-
ctionis, qua patientem affecerunt: ופסד iudicium, quod a foro DEI
iudiciali ipsi propter peccata impositae essent. Cum autem poena vel
 diuina vel humana sit immediate, num vtraque, an alterutra, &
 quaenam ex his h. l. putetur, disceptant Exegetae. Qui ad pri-
 orem, quam vocauimus, classem pertinent, non aliam ferme,
 quam humanam, licet respectu infipientium iniustam, designa-
 ri, poenam, opinantur. Nec desunt alii, qui eandem viam cal-
 cant. (y) Theologi nostrates plerumque de sola diuina adcipi-
 unt poena. **B. TARNOVIUS** (z) scribit: *notatur, quod cum*
Christus pro nobis factus erat sponsor, DEus merito ipsi vice & loco nostro
omnis generis angustias, contumelias, verbera, mala ac denique mortem im-
posuerit, in quo ad eius nutum, dum satisfaceret iustitiae diuinae, detineretur.
B. CALOVIUS (a): *Haec non liberationem e carcere, aut e iudicio hu-*
mo notant, sed liberationem ex angustia & iudicio ipsius DEI. Consen-
 tiunt ex nostris **b. DORSCHVS** (b), **b. CARPZOVIUS**, ex
 Reformatis **VITRINGA**, plures. Nonnulli poenam diuinam &
 humanam simul coniungunt. **B. FORSTERVS** (c) duplicem
 carcerem **CHRISTVM** expertum esse, scribit, corporalem vnum,
 alterum spiritualement, spiritualement primario intelligens. **HER-**
MANN. RENNECHERS (d): *Voce coarctationis, inquit, non solum*
 illud

(v) *in der gründlichen Erleuterung der dunckelen Oerter A. und N.*
Testam. VII Versuch. p. 409.

(x) *b. I. A. DANTZIVS Interprete Ebraeo-Chaldaeo C. I. §. 18. p. 23.*

(y) *COCCEIVS Synops. ad. b. l. Opp. T. II. p. 780. & FORERIVS,*
cuius Sententiam ex CORN. a LAPIDE refert b. CARPZO-
VIVS bibl. parvis p. 964.

(z) *Enarrat. C. LIII. Esaias p. 452.*

(a) *Bibl. illustr. V. T. Tom. II. p. 265.*

(b) *Analysi S. Iesaias ad b. l. p. 167.*

(c) *Comment. in Esaiam ad b. l. p. 541.*

(d) *Perspicua & orthodoxae LIII. Cap. Esaias declaratione p. 160. 161.*

illud tempus, quo Christus a Iudaeis captus & se pulchro inclusus fuit, denotare videtur, sed etiam omnia illa mala, tam verbera quam probra, quaecumque Christus tum a Iudaeis, tum a gentibus perpeffus est, designantur - Nomine iudicii, manus & consilium DEI, quo Christus tanquam fideiusfor & sponsor noster iustissimis poenis a Deo afflictus & discruciatu: fuit, intelliguntur. COCCCEIVS ad h. l. commentatur (e) fuit captus, traditus in manum Pilati habentis imperium, inclusus ut non exiret - ex iudicio 1. iniusto Seniorum populi. 2. iusto, quo a DEO factus est peccatum. Media sententia, meo arbitrio, praefenda est, cum tertia haud difficulter concilianda. Ea mihi scilicet opinio sedet, omnem quidem CHRISTI passionem, tam humanam, quam diuinam; tam externam, quam internam; tam in vita quam morte toleratam, binis hisce nominibus comprehendi; at humanam non alio respectu includi, credo, quam quatenus a DEO tamquam iudice, siue decernente, siue dirigente, siue permitte; non autem quoad vel vel a Iudaeis, vel a Romanis profecta est. Displicet haec veritas Socinianis aliisque satisfactionis CHRISTI vicariae hostibus. Nuper CHRISTOPH. ESCHRICH, DEMOCRITI socius & alumnus, qui paullo post nequitiae magistrum ad plures abiit, hunc in finem edidit: *Schriftmässige Erklärung des 53. Capitels Iesaias*, ut satisfactionem pro nobis, quantum in ipso esset, hoc capite eliminaret. (f) Sigillatim Anonymus ille, qui sub nomine *eines christlichen Exulanten* praefationem praemisit, contendit, inter errores V. T. fundamentales referri opinionem de CHRISTO, a DEO tamquam iudice, nostrorum peccatorum expiandorum causa, percusso & excruciato. (g) Nobis eo gratior haec est doctrina, quo solidius satisfactionis CHRISTI veritatem roborat, quoque manifestius contextui congruit, & scopo totius capitis LIII. quod GOELEM nobis proponit, non ut humanae iniustitiae, sed quatenus diuinae iustitiae forum subire debuit. Adpellat IESAIAS eum v. 4. percussum a DEO, & adtritum. v. 6. inquit: *Iehovah incurrere fecit in eum iniquitatem omnium nostrum.* v. 10: *Iehovah voluit conterere*

B

cum

(e) *Curis Maior. in Propb. Es. Opp. T. II. p. 1115. a.*

(f) vid. *Fortgesetzte Sammlung, von Alten und Neuen 1734. p. 327. sqq. & Hessisches Heb-Opffer Pars. III. §. 4. 5. p. 312 sqq.*

(g) Um mich deutlich zu erklären, scribit Anonymus, *so finde ich Es. 53. 4. diese Worte: wir hielten ihn für den, der von Gott geschlagen und gemartert wäre. Es erkennen also die gläubigen Jüden, das Christus NB. nicht von Gott geschlagen und gemartert wäre worden, wie sie in ihrer Blindheit phantastirer. Ist nun dieses ein Irrthum, daß Gott aus Zorn seinen Sohn geschlagen, so mußte ia nothwendig die daraus fließende Satisfaction auch ein Irrthum seyn. S. fecit empectae D. D. RAMBACH im Hessischen Heb-Opfer l. c. p. 335/*

cum. Ex quibus cum b. CALOVIO ad b. I. non immerito colligi-
mus: *Ex iudicio ergo DEI sublatum Propbeta significat, quem in iudi-
cio DEI tam grauitor adflictum fuisse, docuerat.*

Ex termino a quo, quem haecenus declarauimus, de liberationis ratione
formali existimandum est. Recte praecipiunt, qui CHRISTVM ex angu-
stia & iudicio liberatum, nec a DEO amplius, poenis plagisque vllis adfe-
ctum esse, nec ab impiis hominibus, Summi NVMINIS prouidentia, vl-
terius adfligi potuisse, docent; sed rem, me iudice, nondum exhauriunt,
Plura complectitur haec liberatio, cum, vt dixi, terminus a quo fit poe-
na satisfactoria iudicialiter a DEO ipsi statuta, Adductus erat in diuinum
iudicium Saluator propter peccata nostra, quae in ipsum coniecta, & ab
ipso suscepta erant, *Es. LIII. 4. 5. Io. I. 29. 2. Cor. V. 21.*, Sanguine &
morte expianda. Quamdiu hic reatus culpae & poenae ab ipso iterum de-
uoluit non erat, ab angustia & iudicio liberari non poterat. Deuolui au-
tem ab ipso reatus nequibat, priusquam iustitiae diuinae laesae, poenis, quae
in consilio Trinitatis decretae erant, persolutis, in solidum esset satisfa-
ctum. Acceptilationem enim Remonstrantium satisfactionem reipsa tol-
lere, nemo non agnoscit. Itaque quemadmodum satisfactio CHRISTI
partim actus forensis erat, dum omnes nostrae transgressiones, earumque
poenae Sponsori nostro imputabantur; partim physicus, dum acerbissi-
mos dolores reipsa experiebatur mediator inter DEVM & homines; ita
liberatio haec pariter est actus tam physicus, quam forensis. Forensis
quia λύτρον passione & morte datum sufficiens in foro diuino iudicaba-
tur, & CHRISTVS ab omni reatu culpae & poenae ipsi imputato absol-
uebatur. Physicus, quia Satisfactor ex passione & morte eripiebatur,
numquam eidem iterum subiiciendus. Comprehendit ista Scriptura S.
iustificationis nomine *Es. L. 8.* & alibi. Haec autem in eo consistit, quod
DEVS declarauit, CHRISTVM iustitiae suae in solidum satisfacisse, ne-
que teneri amplius reatu istorum criminum, quae in se, qua Sponsor su-
sciperat (h). *Mortuus est Christus*, inquit b. GOTTFR. OLEARIVS, (i)
*qui peccata nostra in se susceperat, vt per mortem satisfactoriam deposito reatu
peccati, qui in ipsum transferat, ipse iustificaretur b. e. in iudicio diuino,
soluta sponsione & satisfactione pro peccato praestita dimitteretur, morte sci-
licet ista δεικτικῶς ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας, iustificatus a peccato Rom.
VI. 7. iustificatus in Spiritu, 1. Tim. III. 16. atque eo nomine δίκαιος iustus
1. Io. II. 1. ea iustitia qua Sponsoris partes impleisset, & vt pro tali in iudicio
adgni-*

(h) H. WITSIVS de *Oecou. foeder. DEI L. III. C. VIII. §. IV. p. 364. & L. II.
C. X §. XV. p. 245.*

(i) *Disp. de morte & vita fidelium cum Christo Cap. II. §. IV. p. 19.*

adgnitus, efficaciter pro nobis intercedere valever. Copiosius haec persequitur D. BVDDEVS, (k) qui CHRISTI iustificationem his verbis describit: est actus forensis, quo DEVS tanquam iustus iudex, vi pacti atque iustitiae, Christum ceu lapsorum hominum sponsorem atque mediatorem, practita satisfactione, a poena mortis liberavit, absoluit atque die resurrectionis ex iudicio dimisit, ad maiorem Christi gloriam, & ad sufficientem illius, in redemptionis opere, valorem declarandum. Idem (l) huc refert verba nostra: ex iudicio dimissus est. quid hoc aliud, quam iustificatus est? & quid τὸ iustificari aliud significat, quam ex iudicio dimitti atque absolvi? Gemina ratione Prophetae comma exponit VITRINGA: (m) Cum Messias extrema haec & gravissima subiisset παθήματα, & tandem postulato iuris divini perfecte satisfecisset, ut dicere potuerit, bonum illud verbum τετέλεσαι, consummatum est: tum vero adfuisse DEVM Patrem, filium suum iustificantem, eumque ex pressura afflictionum & e potestate iudicii qua coelestis qui terrestri fori vindicatum, assumisse in gloriam. De tempore liberationis vt pauca addam, superest. Divisi sunt interpretes, nec exprimit id vates Θεόπνευτος. Res ipsa litem dirimere debet. Quocunque tempore CHRISTVS adhuc fuit in angustia & iudicio, liberatus inde dici nondum potest. Eo vero momento, quo sub angustia & iudicio desiit esse, ab eo liberatus fuisse pronuntiandus est. Consequitur hinc, in cruce, cum exclamavit: τετέλεσαι, & in ipso mortis articulo liberationem hanc nondum factam esse. Mors enim tam respectu actus, quam status pertinet ad obedientiam CHRISTI poenalem, qua DEO satisfecit, nostramque mortem destruxit, 1. Petr. III. 18. Col. I. 22. Hebr. II. 14. Ab angustia igitur & iudicio tum nondum fuit liberatus. Per triduum quidem mortis anima CHRISTI ad coelestis gloriae fruitionem admissa fuit; at separationi tamen a corpore, mortique corporali, quae non minus quam aeterna stipendium est peccati, propter nos fuit obnoxia. Quae; cum ita sint, THEOPH. ALTHAEO (n) suffragari nequeo, qui liberationem hanc tum factam esse, contendit, cum CHRISTVS dixit: τετέλεσαι Jo. XIX. 30. Facilius in concordiam redigi possunt, qui mox descensum ad inferos, mox resurrectionem ex morte, mox ascensionem in coelos (hosque actus vel coniunctim, vel separatim) tamquam liberationis tempus adlegant, dummodo

B 2

do

(k) Dissert. de iustificatione Christi in Spiritu lenae 1724. praef. c. 11. §. 1. p. 25.
 (l) l. c. c. 1. §. XII. p. 21. (m) Comment. in Es. p. 672.
 (n) In der Erleuterung VII. Versuch. p. 429. vbi ad quaestionem: Wenner heraus genommen worden? responderet: als er sagte: es ist vollbracht. Conf. D. BVDDEVS. l. c. p. 33; & VITRINGA l. c. p. 673.

do inter primum eius momentum & continuationem distinguamus. Primum momentum, de quo h. l. agitur, quoniam passioni liberatio immediate opponitur, in eo temporis puncto quaerendum est, quo primum angustia & iudicium cessauit. Quia vero hoc in resurrectione procul dubio factum est, adscensio hic in caelum venire nequit, licet in ea non minus, quam in sessione ad dextram DEI liberatio continuetur, & in aeternum continuanda sit. Quae opponit S. Codicis Dicta VITRINGA, de assumptione ad gloriam Prophetam exponens, in iis $\alpha\beta\gamma$ absolute & in compositione consideratum, nec non oraculum hoc cum aliis textibus sacris, qui diuersa argumenta, diuersasque circumstantias complectuntur, miscere videtur. Absolute primum momentum liberationis fuisse $\lambda\omega\omega\rho\iota\eta\sigma\tau\omega$, cum qua descensus ad inferos immediate cohaeret, dubitari nequit. At cum vivificatio respectu nostri, seu quoad nobis manifestata est, sit ipsa resurrectio, non possum, quin cum b. GERHARDO, (o) quem reliqui Theologi plerique sequuntur, statuam, quod CHRISTVS iustificatus, i. e. iustus declaratus sit, quia in resurrectione & per resurrectionem absolutus est a peccatis hominum, quae ut sponsor in se susceperat, ut pro illis satisfaceret. Atque hoc praecipuum est, quod in feriis his paschalibus ad animum, CIVES OPTIMI, reuocare debemus. Qui praecise spectant resurrectionem CHRISTI, prout humanitatis est adfectio, mysterio non satisfaciunt. Maxime nostrum interest, ut $\alpha\pi\omicron\sigma\epsilon\lambda\acute{\epsilon}\sigma\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$ & iustificationis CHRISTI propter iustificationem nostram resuscitari, *Rom. IV. 25.* (p) rationem habeamus. Quantum hoc festum nobis adferat commodum, inde condiscimus. Dum enim hodie GOEL noster iustificatus est, nos simul omnes cum ipso iustificati sumus, non sensu quidem HVBERI, aut Neo-Euangelistarum, sed PAVLI: *Sicuti per vnus peccatum in omnes homines in condemnationem* (rescessit): *ita per vnus iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae*, *Rom. V. 18.* Ut nobis autem adplicetur haec, quae omnibus acquisita est, iustificatio, fide opus est, qua eam recipiamus. Imputatur enim credentibus in eum, qui resuscitauit Iesum Dominum nostrum ex mortuis *Rom. IV. 18.* Sollicite quoque prouidendum est, ne vel in doctrina vel in vita Securitatis inde capiamus argumentum; sed arbitremur, nos cum CHRISTO mortuos esse peccato, viuentes DEO per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, *Rom. VI. 11.*

(o) *Annot. ad priorem ad Tim. Epist. p. 52. Add. BVDDEVS. Diff. cit. p. 33. & WITSIVS l. c. p. 364. 365.*

(p) *Scopo nostro congruenter haec verba interpretatur b. ITTIGIVS Opera- scular. Varior. p. 404.*

P. P. SVB SIGILLO RECTORALI,
 Fer. I. Paschatis, AO. AE. CHR., cto MDCXXXVII.

illud tempus, quo Christus a iudaeis captus & sepulchro inclusus fuit, d
videtur, sed etiam omnia illa mala, tam verbera quam probra, quae
Christus tum a iudaeis, tum a gentibus perpeffus est, designantur - Nomin
eii, manus & consilium DEI, quo Christus tanquam fideiussor & sponso
iustissimis poenis a Deo afflictus & dis cruciatus fuit, intelliguntur. COCC
ad b l. commentatur (e) fuit captus, traditus in manum Pilati habenti
rium, inclusus ut non exiret - - ex iudicio I. iniusto Seniorum populi. 2
quo a DEO factus est peccatum. Media sententia, meo arbitrio, p
renda est, cum tertia haud difficulter concilianda. Ea mihi s
opinio sedet, omnem quidem CHRISTI passionem, tam huma
quam diuinam; tam externam, quam internam; tam in vita
morte toleratam, binis hisce nominibus comprehendi; at h
nam non alio respectu includi, credo, quam quatenus a
tamquam iudice, siue decernente, siue dirigente, siue pe
tente; non autem quoad vel vel a Iudaeis, vel a Romanis pr
est. Displicet haec veritas Socinianis aliisque satisfactionis C
STI vicariae hostibus. Nuper CHRISTOPH. ESCHRICH
MOCRITI socius & alumnus, qui paullo post nequitiae magi
ad plures abiit, hunc in finem edidit: *Schriftmässige Erklärung*
53. Capitels Iesariae, vt satisfactionem pro nobis, quantum in
esset, hoc capite eliminaret. (f) Sigillatim Anonymus ille, q
nomine *eines christlichen Exulanten* praefationem praemisit, co
dit, inter errores V. T. fundamentales referri opinionem de C
STO, a DEO tamquam iudice, nostrorum peccatorum expi
rum causa, percusso & excruciato. (g) Nobis eo gratior ha
doctrina, quo solidius satisfactionis CHRISTI veritatem ro
quoque manifestius contextui congruit, & scōpo totius capituli
quod GOELEM nobis proponit, non vt humanae iniustitiae
quatenus diuinae iustitiae forum subire debuit. Adpellat IES
eum v. 4. percussum a DEO, & adritum. v. 6. inquit: *Iehovah in
fecit in eum iniquitatem omnium nostrum. v. 10: Iehovah voluit co*

B

- (e) *Curis Maior. in Propb. Es. Opp. T. II. p. 1115. a.*
(f) vid. *Fortgesetzte Sammlung, von Alten und Neuen 1734. p. 327*
Hessisches Heb-Opfer Part. III. §. 4. 5. p. 312 sqq.
(g) Um mich deutlich zu erklären, scribit Anonymus, *so finde ich*
diese Worte: wir hielten ihn für den, der von Gott geschlagen und ge
wäre. Es erkennen also die gläubigen Lüden, das Christus NB. nicht u
geschlagen und gemartert wäre worden, wie sie in ihrer Blindheit pha
ist nun dieses ein Irrthum, daß Gott aus Zorn seinen Sohn geschlagen,
ia nothwendig die daraus stießende Satisfaction auch ein Irrthum seyn.
fecit impectae D. D. RAMBACH im Hessischen Heb-Opfer l. c. p. 31

